



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. In quibus subjectis remaneat habitus fidei, & in quibus destruaturs?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

que quia objectum formale assensus fidei est res revelata, non materialiter sumpta, sed formaliter & reduplicativè ut revelata.

- 24 Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, hoc exemplo: Ideo actus visionis, quo oculus attingit colorem & lucem, est unus & simplex, quia color est objectum tantum materiale visus, lux verò objectum ejus formale: Atqui similiter res quæ revelatur à Deo, est objectum tantum materiale actus fidei, divina verò revelatio, objectum formale: Ergo unico & simplici actu fides credit rem revelatam, & divinam revelationem; subindeque non est discursiva, cum discursus pluralitatem actuum importet, & ex uno prius cognito ad cognitionem alterius procedat. Unde in hoc fides distinguitur à Theologia, quod Theologia formaliter importet discursum, & procedat ex revelatione virtuali, ut disputatione præcedenti Theologiæ ostensum est, fides autem unico intuitu divinam revelationem, & rem revelatam attingit. Dixi fidem non esse propriè discursivam: quia illa discursu improprium & virtuale, quo unico actu plura simul attinguntur, & unum in alio, sive ex vi illius cognoscitur, non excludit, ut constat in Angelis viatoribus, qui unico actu, & unicâ specie, omnia fidei mysteria à Christo continentia cognoverunt.

- 25 Dices: Multoties ex aliquibus propositionibus creditis per fidem deducuntur alia, ad ipsam pertinentes, per Concilia generalia, vel Summos Pontifices, ut quod in Christo sint duæ voluntates, ex eo quod in ipso sint duæ naturæ: Ergo fides interdum discursit.

Respondeo tales illationes non fieri à fide, sed à Theologia, quæ ex principiis revelatis conclusiones illas deducit: unde veritates illæ, reduplicativè ut deductæ ex principiis fidei, non sunt de fide, sed conclusiones Theologiæ, & pertinent ad fidem solum prout substant immediate divinæ revelationi, ut in disputatione præcedenti Theologiæ docuimus.

ARTICULUS II.

In quibus subjectis remaneat habitus fidei, & in quibus destruitur?

§. I.

Sequentibus conclusionibus difficultas resolvitur.

- 26 Dico primò, habitum fidei remanere in peccatore, gratiâ sanctificante, charitate, aliisque donis & virtutibus infusus spoliato.

Conclusio est certa de fide: colligitur enim apertè ex illo 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Nam ibi clarè supponitur, fidem posse esse sine charitate, ac proinde in homine peccatore. Item in Tridentino sess. 6. cap. 15. expressè asseritur, fidem per quodlibet peccatum mortale non amitti.

- 27 Ratio etiam suffragatur: Non enim omne peccatum est contrarium fidei, nec destruit rationem formalem objecti ipsius, ut constat, atque ad id potest homo, in peccato mortali existens, credere omnia revelata à Deo, quia ab ipso revelata sunt, & hanc fidem animo & proposito retinere, subindeque & habitum. Item potest sperare, &

A pœnitere imperfectè per attritionem supernaturalem, & Deum ut autorem supernaturalem orare: quæ tamen sine fide infusa fieri nequeunt. Denique fides, etiam quoad habitum, non dependet necessariò ab habitu gratiæ; quia non comparatur ad gratiam tanquam proprietas necessariò manans ab illa, sicut charitas, sed tanquam fundamentum, quod potest manere, destructo edificio.

Dico secundò, fidem infusam nullo modo remanere in hæretico, sed per quodlibet peccatum infidelitatis totaliter destrui. Ita communiter docent Theologi contra Durandum in 3. distinctione 23. quæst. 9. ubi docet probabile esse, fidem infusam remanere in hæretico quoad habitum, seu habitum fidei infusam in ipso non destrui totaliter, sed secundum aliquam sui partem remanere.

Probat primò conclusio ex Tridentino, sess. 6. cap. 15. affirmante fidem peccato infidelitatis amitti, sicut charitatem quovis peccato mortali, nimirum totam fidem quovis peccato infidelitatis, sicut tota charitas perditur quovis peccato mortali. Deinde Patulus 1. Timoth. 1. ait hæreticos circa fidem naufragari: naufragari autem est, amissa navi, nudum, omnibusque defecit evadere, ut notat Chrysostomus ibidem. Item 1. Corinth. 6. dicit non esse participationem fidei cum tenebris, nec fideli cum infideli; indeque probat non debere fideles inire matrimonium cum infidelibus, quia congruè fieri nequit, ut fidelis habens lucem fidei, in idem jugum conveniat cum infideli, qui in tenebris infidelitatis versatur. Unde Cyprianus lib. 1. Epist. 3. *Nulla societas fidei cum perfidia esse potest.*

Probat secundò: Qui in credendo non inhaeret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ infallibili fidei, non habet habitum fidei infusam: Sed hæreticus, discredens aliquem articulum nostræ fidei, quamvis credat omnes alios, non inhaeret in credendo doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ infallibili suæ fidei: Ergo non habet habitum fidei infusam. Minor est certa: cum enim doctrinæ Ecclesiæ proponat omnes articulos fidei nostræ ut credendos, hæreticus discredens aliquem ex illis articulis, eo ipso non inhaeret, credendo alios, doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ infallibili fidei; supponit enim ipsam errare in propositione illius quem ipse negat. Major verò probatur: Ille non habet habitum fidei infusam, qui non potest moveri à ratione formali objecti talis habitus: Sed qui in credendo non inhaeret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ fidei omnino infallibili, non potest moveri à ratione formali objecti fidei infusæ; talis enim ratio formalis est divinæ revelationis, ut notificata per doctrinam Ecclesiæ omnino infallibilē, ita ut talis doctrinæ persuasio de ipsius infallibilitate, sit conditio omnino necessaria quoad nos, ut divina revelatio moveat intellectum nostrum ad assentiendum veritatibus à Deo per Ecclesiam revelatis, sicut in 1. disp. docuimus: Ergo qui in credendo non inhaeret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ infallibili fidei, non habet habitum fidei infusam.

Probat tertio: Si quis ante susceptionem habitus fidei, ita esset affectus, quod nollet credere aliquem ex ejus articulis, nunquā fieret fidelis, etiam si vellet credere omnes alios articulos: Ergo similiter, si post susceptam fidem sit ita affectus, ut unum fidei articulum, v.g. realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, credere

holis, amittet fidem infusam, quamvis omnes alios articulos credat. Consequentia patet: cum enim infusio live productio fidei, & ejus conservatio, in Deo idem sint, dispositio quæ repugnat infusioni fidei, repugnat etiam ipsius conservationi.

Confirmatur: Si quis per unicum actum odii justitiam Dei odio prosequatur, licet ejus providentiam & sapientiam diligat; vel si unum proximum oderit, etsi diligat alios, amittit omnino charitatem infusam, utpote quæ stare non potest cum peccato mortali, quale est odium etiam unius proximi: Ergo similiter fides infusa per unicum actum infidelitatis circa unum articulum omnino destruitur. Unde SS. Patres hoc dictum Jacobi 2. *Qui peccat in uno, factus est omnium reus* exponunt principaliter in materia fidei, quia qui amittit fidem infusam circa unum articulum, amittit eam simpliciter circa omnes.

Denique suaderi potest conclusio ratione D. Thomæ hic quæst. 5. art. 3. Cessante ratione formalis, à qua habitus specificatur, cessat etiam & destruitur habitus: Sed in eo qui per actum infidelitatis discredidit unum articulo fidei, cessat ratio formalis, à qua habitus fidei specificatur: Ergo & ipse habitus destruitur. Major patet: Minor vero, quam negat Durandus, asserens per actum infidelitatis non destrui rationem formalem sub qua fides, quatenus se extendit ad omnes articulos, sed tantum quatenus se extendit ad unum, probatur, & simul impugnatur illa distinctio: quia quando motivum quod est ratio formalis assentiendi pluribus veritatibus, est indivisibile, ut unum & idem, implicat illud destrui ut extensum ad unam, & non destrui ut extensum ad omnes; tota enim ratio quare habitus scientiæ non destruitur ob errorem circa unam partem sui objecti, est, quia motivum seu medium, quod est ratio assentiendi uni conclusioni, est distinctum ab eo quod est ratio assentiendi alteri; nam in conclusionibus scientificis, motiva formalia multiplicantur materialiter: quare si aliquis in una scientia assentiretur viginti conclusionibus per unum medium, qui negaret illud in una, negaret in omnibus. Cum ergo in proposito unum & idem motivum sit ratio assentiendi omnibus articulis fidei, nempe prima veritas ut simpliciter infallibilis in dicendo; qui discredidit uni articulo, negat veritatem primam esse infallibilem; ac proinde impossibile est quod certò & infallibiliter assentiat aliis veritatibus propter revelationem divinam.

Dico tertio, habitum fidei infusæ non reperiri in dæmonibus, aut damnatis. Est etiam contra Durandum citatum, existimantem non solum in hæreticis, sed etiam in damnatis, manere fidem infusam, si eam toto tempore vitæ retinuerint.

Probatur primò conclusio: In dæmonibus, & damnatis, etiam cum fide infusa mortuis, non remanet habitus piæ affectionis ad credendum sicut oportet: Ergo nec habitus fidei infusæ. Antecedens est certum: cum enim voluntas mali Angeli, & hominis damnati, maneat firmata in malo, per obstinationem habituales, ut docet S. Thomas 1. p. qu. 64. art. 2. est incapax piæ affectionis, quo inclinatur ad credendum sicut oportet. Consequentia verò probatur: cum fides non subijciatur in intellectu absolute, sed ut habitualiter moto & disposito à voluntate per piam affectionem, remota habituali dispositione piæ affectionis ad res fidei, removetur & ipsa fides;

Tom. IV.

sicut remotum lumine gloriæ; removetur unio essentiæ divinæ in ratione speciei cum intellectu creato, & remotà diaphaneitate, removetur lux à subjecto.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Dæmones & damnati non credunt, nec volunt credere, nisi miraculorum evidentia convicti: At si quis in hac vita ita esset dispositus in semetipso, ut noller Evangelio credere, nisi quatenus miraculorum evidentia convinceretur, non haberet fidem infusam, siquidem à ratione formalis illius, nempe primæ veritate revelante, recederet; unde Patres dicunt, S. Thomam, *Actum fidei fecisse, cum dixit: Nisi videro fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*, quia nempe non aliter quam per signorum evidentiam resurrectionem Christi volebat credere: Ergo cum Dæmones & damnati non credant, nisi ratione evidentie signorum & miraculorum quæ vident, non verò ob motivum divinæ revelationis, & piam affectionem erga primam veritatem revelantem; habitum fidei infusæ habent.

Probatur secundò: Per fidem infusam homo fit membrum Christi, corpori ejus mystico infusum, quod est Ecclesia: Atqui damnati, nec actus, nec potentia, sunt membra Christi & Ecclesiæ; sunt enim veluti palmites abscissi, aridi, & in ignem missi: Ergo nec actum, nec habitum fidei infusæ habent, aut habere possunt.

Probatur tertio: Si habitus fidei infusæ esset in Dæmonibus vel damnatis, esset omnino superfluus: Sed hoc dici nequit: Ergo, &c. Probatur Major: quia si in peccatoribus Christianis, adhuc viatoribus, utiliter remanet talis habitus, ideo solum est ut habeant aliquod principium convertendi se per penitentiam ad Deum ut authorem supernaturalem: Ergo in Dæmonibus & damnatis, cum sint obstinati in malo, adeoque incapaces penitentiae, prorsus inutilis esset. Deinde fides, cum sit fundamentum spei, seu ut loquitur Apostolus, *substantia sperandarum rerum*, utiliter remanet in viatoribus; quia quandiu sunt in statu viæ, possunt sperare beatitudinem: Sed damnati & Dæmones, cum sint in termino, & extra statum viæ, non sunt capaces sperandi beatitudinem, sed sunt in statu continuæ desperationis: Ergo in eis habitus fidei esset superfluus. Item fides habitualis est fundamentum justitiæ, imò & semen ac initium illius, ideoque in peccatoribus manet; ut justitiam quam per peccatum amiserunt, recuperare possint: Atqui nec damnati, nec Dæmones justitiam suam possunt recuperare: quorsum ergo in ipsis tale germen justitiæ remaneret;

Nec obstat quod in beatis aliqui habitus sint remansuri; quorum tamen actus nequaquam exercebunt, sed nec exercere poterunt, ut temperantia, & fortitudinis: nam in ipsis tales habitus remanebunt ad ornatum, erunt enim maxima ornamenta illorum: At in Dæmonibus & damnatis, propter miserrimum eorum statum, nullum debet ornamentum remanere: Ergo nec habitus fidei infusæ; quamvis ipsum in via habuerint. Et hoc est quod Matth. 23. & Marci 4. insinuat per hæc verba: *Omni habenti dabitur, & non habenti, quod videtur habere auferetur*. His enim verbis innuit Christus, habenti fidem per charitatem formatam, dandam esse visionem beatificam: ei verò, qui charitatem non habet, fidem ipsam esse auferendam: quod si in hac vita

Si

non

non adimpleatur, in inferno adimpleri debet.

Dico quartò, habitum fidei infusæ non remanere in beatis, bene tamen in animabus in purgatorio existentibus.

39. Prima pars est D. Thomæ 1. 2. quæst. 67. art. 3. ubi sic dicitur: *Fides in sui ratione habet imperfectionem, quæ est ex parte subjecti, ut scilicet credens non videat id quod credit: beatitudo autem ex sui ratione habet perfectionem ex parte subjecti, ut scilicet beatus videat id quod beatificatur: unde impossibile est quod fides maneat simul cum beatitudine in eodem subjecto*

40. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Destructo objecto formali quod & quo alicujus habitus, talis habitus destruitur: Sed in beatitudine destruitur objectum formale quod & quo fidei infusæ: Ergo & ipse habitus. Major patet: Minor probatur. Objectum formale quod fidei infusæ, est prima veritas non visa, objectum vero quod est divina revelatio obscura, ut in 1. disp. ostensum est. Sed in beatitudine prima veritas est in se clarè visa; ibique omnis divina revelatio est evidens; quidquid enim Deus beatis revelat, clarè revelat, ob perfectionem illius status, sive revelat in verbo, id est in scripto clarè viso, sive aliter: Ergo in beatitudine destruitur objectum formale quod & quo fidei infusæ. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Ex parte cognovimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est: id est cum venerit visio, fides evacuabitur.*

41. Probatur secundo eadem pars: Fides est donum collatum viatoribus pro statu viæ, & ut fundamentum spei, per quam tendimus in beatitudinem: Ergo superflue omnino poneretur in beatis, cum illi non sint amplius viatores, sed comprehensores; nec per spem tendant in beatitudinem, sed illam possideant per claram Dei visionem.

Ex quo probata manet secunda pars, quæ asserit habitum fidei remanere in animabus in purgatorio existentibus: nam animæ illæ sunt adhuc in viæ, & ad patriam tendunt, ad quam adhuc non pervenerunt, ac per spem, summum suum bonum vehementer desiderant; cumque adhuc nondum acceperint quod perfectum est, non debet evacuari in illis quod ex parte est.

§. II.

Tria corollaria notatu digna.

42. Ex dictis colliges primò, habitum fidei tripliciter amitti, nimirum vel per peccatum infidelitatis, vel per adventum luminis gloriæ, vel per decessum in peccato mortali, æternamque damnationem: primo modo amittitur ab hæreticis, secundo à beatis, tertio à Dæmonibus, & animabus damnatis.
43. Colliges secundo, subjectum adæquatum fidei non esse aliud, quam Angelos & homines viatores, subindeque Angelis, & Adamo fuisse infusam fidem in prima ipsorum conditione, ut docet D. Thomæ hic quæst. 5. art. 1. Et ratio etiam id suadet: Angeli enim, & primi parentes, non poterant solis naturæ viribus cognoscere statum & finem supernaturalem, ad quem erant vocati, sicut nec media supernaturalia, quibus Deus statuerat eos iustificare, & ad gloriam perducere: quare opus eis fuit divinæ revelatione, quæ licet absolute loquendo clara esse potuerit

A (inferior quidem visione beatificæ, sed superior fide) ad fidei tamen obedientiam & meritum convenientius fuit, quòd illa fuerit obscura, scilicet ex parte rei revelata; licet tunc haberent evidentiam divinæ testificationis seu revelationis, quæ cum non excludat obscuritatem rei in se, simul cum fide stare potest, ut supra docuimus: Ergo Angelis, & primis parentibus, habitus fidei in prima eorum conditione inditus est.

Confirmatur: Ex Augustino lib. 13. de civ. cap. 4. Tunc est fides, quando spectatur in spe, quod in renouandum videtur: Ergo cum hoc modo Angelus & homo spectaverint beatitudinem in prima sui conditione, in eis tunc fuit habitus fidei.

B Item idem S. Doctor tract. 68. in Joan. loquens de mansionibus patriæ celestis, ait: *Vi parentem ista mansiones, vivere debet iustus ex fide: qui enim a Domino peregrinantur, opus habent ex fide vivere, quia per hanc ad speciem contemplandam parantur, & credenti colligitur meritum, videnti redditur premium.* Sed Angeli in prima conditione peregrinabantur à Domino ut viatores, & beatitudinem meruerunt, ut in Tractatu de Angelis ostensum est: Ergo tunc illi habuerunt fidem, & Mystra Incarnationis & Trinitatis cognoverunt. Idem dicendum de primis parentibus, licet isti cognoverint mysterium Incarnationis, solum secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non verò in quantum erat ordinatum ad liberationem à peccato, per passionem & resurrectionem Christi; quia homo non fuit præsciens peccati futuri, ut ait D. Thomas supra quæst. 2. art. 7.

Colliges tertio, neque in damnatis, neque in hæreticis viatoribus remanere habitum veræ Theologiæ, sed tantum aliquid æquivocè simile Theologiæ. Ratio est, quia veræ Theologiæ est habitus per se dependens ex principis supernaturalibus, cognitus vel per fidem infusam, vel per lumen gloriæ; quibus tamen hæretici & damnati omnino destituuntur.

§. III.

Præcipue objectiones solvuntur.

O Bjicies primò contra primam conclusionem: SS. Patres sapè docent quod tantum est vera fides Theologica, quando adest charitas: Sed in peccatoribus non remanet charitas: Ergo nec fides Theologica.

Rpondeo SS. Patres, per fidem veram, intelligere fidem perfectam, & formatam, seu vivam, quæ sine charitate esse non potest, juxta illud Augustini: *Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides Dæmonis.*

E Objicies secundo: Hæreticus cum pertinaciter negans aliquem articulum fidei, v. g. realem præsentiam corporis Christi in sacramento Eucharistiæ, adhuc experitur se eadem promptitudine & facilitate assentiri aliis articulis fidei, ut quòd Deus sit Trinus, sit Incarnatus, &c. quæ ante suam hæresim: Ergo eundem habitum fidei infusæ retinet. Consequentia videtur manifestata: nam talis promptitudo, & facilitas, sunt signa habitus permanentis.

Confirmatur: Non repugnat fide acquisita credere dicenti unam rem, & non credere aliam ab eo dictam: Ergo similiter non implicat aliquid credere fide infusæ, quia Deus illud dicit, & non credere alia, quæ Ecclesia dicit esse à Deo

Deo revelata, subindeque licet hæreticus non credat omnia quæ Ecclesia ut credenda proponit, potest habitum fidei infusæ circa mysteria quæ credit conservare.

Ad objectionem respondeo remanere in hæretico, ordinariè loquendo; habitum fidei acquisitum, productum per actus naturales, quos sequente hæresim exercuit circa supernaturalia, credendo illa ex quadam fide humana ex parte principii, licet divina ex parte objecti: unde promptitudo & facilitas quam experitur ad credendum mysteria Trinitatis & Incarnationis, non ex habitu fidei infusæ, sed ex tali habitu fidelis acquisitæ & humane provenit.

Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem. Ratio autem discriminis est, quia per quemcumque actum contrarium habitui fidei infusæ, nempe per actum hæresis, respicitur conditio quædam, necessariò requisita ad motum formale habitus & actus fidei infusæ, scilicet infallibilitas Ecclesiæ in determinandis rebus à Deo revelatis, ut in secundâ probatione secundæ conclusionis demonstratû est: quod tamen non reperitur in actu contrario fidei humane, respectu talis fidei, ut constat.

Obijciens tertio: Peccato infidelitatis, si hæresis, non destruitur habitus fidei infusæ: Ergo remanet in hæretico circa articulos quos credit. Consequentia patet: Probatur Antecedens. Si peccato hæresis destrueretur habitus fidei, vel moraliter destrueretur, si ve demeritorie, vel physice? Non moraliter: quia sunt alia peccata, quæ magis, vel saltem æquè merentur subtractionem habitus fidei, ut peccatum odii Dei, & alia, quibus tamen non destruitur habitus fidei. Neque etiam physice: si enim peccatum hæresis destrueret physice habitum fidei, vel hoc præstaret in genere causæ formalis; si ve immediate, vel in genere causæ efficientis, si ve mediate: Tum quia actus non opponitur formaliter, & immediate habitui: Tum etiam quia actus hæresis indeliberatus, habet totam entitatem physicam actus hæresis deliberati, & tamen non expellit habitum fidei: Neque etiam in genere causæ efficientis: Tum quia actus hæresis, si sit primus, non efficit aliquid in intellectu formatum incommensurable cum habitu fidei; nempe habitum erroris, sed ad summum dispositionem imperfectam, quæ non semper valet excludere contrarium habitum: Tum etiam, quia licet daretur primum actum hæresis esse valde intentionem, ac proinde generare habitum infidelitatis, nihilominus iste habitus, cum sit acquisitus, non excluderet ex natura sua habitum fidei infusæ, habitus enim acquisitus non repugnat ex natura sua cum habitu infuso; ut videtur est in peccatore habente habitum vitiorum valde intensos, qui si nullificetur, recipit omnes virtutes infusas, & tamen non statim amittit habitum omnem vitiorum, ut patet cum experientia constat; illum eodem modo ac antea ad vitia remanere propensum.

Ad hoc argumentum fatentur Suarez, Loricæ, Cominek, Beccanus, & alii Recentiores extra Scholam D. Thomæ, actum infidelitatis, si ve hæresis, propter rationes allatas, non expellere habitum fidei infusæ physice; dicunt tamen quod eum expellit moraliter. Et ad probationem in contrarium respondent, genus moralis destructionis esse duplex, nempe demeritum, & infidelitatem; non solum autem primo modo,

Tem. IV.

A si ve demeritorie, peccato actuali infidelitatis expelli fidem infusam, quia nempe infidelis meretur in penam suæ infidelitatis, quod Deus ab eo subtrahat fidem; sed etiam secundo modo, si ve dispositivè: quia enim non vult assentiri uni propositioni fidei propter auctoritatem divinam, per Ecclesiam propositam, remanet eo ipso impeditus ad assensum fidei infusæ circa alias propositiones; idque quia, ut dictum est, auctoritas divina, ut declarata per Ecclesiam, est unicum & indivisibile medium, & motivum ad assensendum per fidem infusam mysteriis religionis nostræ.

Si istes, responsionem hanc probare, quod actus infidelitatis destruat non solum moraliter, sed etiam physice, habitum fidei; quia indispotio; si ve impedimentum ad credenda mysteria fidei ex habitu infuso, proveniens in hæretico ex eo quod nolit ipsi assentire propter auctoritatem divinam, ut propositam per Ecclesiam, est indispotio physica; physice proinde repugnans habitui fidei infusæ; negat hoc Suarez: Primò quia sicut actus boni (inquit) disponunt ad habitus infusos, non physice, sed moraliter; ita etiam contrariò actus mali moraliter tantum disponunt ad amissionem habituum infusorum. Secundo quia licet daremus (inquit) actum infidelitatis circa unum articulum, quando durat, omnino impedire, etiam physice, ceteros actus fidei infusæ; nihilominus non excluderet naturaliter habitum fidei infusæ; quia homo semper manet potens ad mutandum illum actum infidelitatis, & exercendum habitum fidei infusæ.

Verum hæc responsio Suaris facile impugnatur. Nam in primis falso negat quod actus moraliter boni disponant physice ad habitus infusos: ostendimus enim in Tractatu de Gratia, quod actus boni sunt dispositiones physice ad infusionem gratiæ & charitatis. Secundo licet daremus actum infidelitatis non excludere naturaliter habitum fidei, exclusionem immediatam, excludit tamen illum naturaliter, exclusionem mediatam, reddendo hæreticum indispotum ad assensum fidei infusæ; impedimentum enim quod in eo causat, non tantum impedit exercitium habitus fidei, sed etiam ipsum expellit, ut constabit ex mox dicendis.

Melius ergo respondent communiter Thomistæ, peccato infidelitatis non tantum moraliter, sed etiam physice, destrui habitum fidei infusæ; non quidem immediate, si ve in genere causæ formalis, sed mediate, si ve in genere causæ efficientis; quod ita explicant. Quemadmodum unusquisque actus demonstrationis generat scientiam; quia perfecte convincit intellectum, ac proinde superat omnem ejus resistentiam; ita unusquisque actus infidelitatis generat dispositionem habitualemente contrariam dispositioni omnino necessariæ ad fidei infusæ conservationem, videlicet pertinaciam adhesionem ad proprium iudicium: licet enim hæc pertinacia adhesionis non sit forma directè contraria fidei, directè tamen opponitur dispositioni, sine qua non potest fides in suo subjecto conservari, nimirum habituali intellectus captivitate in obsequium solius auctoritatis Dei, obsequi sui mysteria revelantis: fieri enim non potest, ut qui pertinaciter adhæret proprio iudicio, sit nihilominus ita captivatus Deo, ut possit assentire propter solam ejus auctoritatem.

St. 1.

Quanti-

Quamobrem sicut ille qui destruit dispositiones corporis humani, physicè expellit animam, quæ sine illis non potest in corpore conservari: ita qualibet infidelitas actus, afferens secum pertinaciam, siue qua non est hæresis, expellit fidem infusam à subiecto, non formaliter, & immediate, sed efficienter & mediata, ut dictum est.

56. Contra tertiam conclusionem, quæ asserit fidem infusam non reperiri in demonibus, & damnatis, obijcit primo: D. Thomas in 2.ª quæst. 18. art. 3. ad 2. constituit differentiam inter spem & fidem, quod spes non remanet in damnatis, bene tamen fides.

Secundo, Fides infusa solo peccato infidelitatis deperditur: Sed damnati, qui cum tali fide mortui sunt, carent peccato infidelitatis: Ergo fidem infusam in inferno retinent.

Tertio, Qui ex Christianis damnati sunt, cognoscunt in inferno easdem veritates supernaturales, quas cognoscebant in via: Sed non nisi per fidem infusam, utpote quæ sola supernaturalis est: Ergo fides infusa in ipsis remanet.

Quarto, Nisi habitus fidei infusa admittatur in damnatis, qui in via fideles extiterunt, nulla erit eorum distinctio ab iis qui nunquam fideles fuerunt.

Quinto, Si in damnatis non remaneret fides infusa, maxime quia in ipsis non esset pia affectio voluntatis: Sed hoc est falsum: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Major patet ex supra dictis. Minor probatur. Cum enim in damnatis remaneat fides, & inclinatio in bonum, non repugnat in illis quoque reperiri primum aliquem affectum, ut constat in divite Epulone, qui in inferno sepultus, desiderabat salutem suis fratribus.

Denique D. Jacobus in sua Epistola cap. 2. redarguens quosdam, qui spreto bonis operibus, de sua fide gloriabantur, obijcit illis quod *dæmones credunt & contemnisunt*; & tamen eorum fides nihil eis prodest: Sed talis obiectio esset inefficax, si fides dæmonum non sit infusa; potuissent enim illi quos reprehendebat, respondere, disparitatem esse inter ipsos & dæmones, quod dæmones credunt fide tantum acquisitâ & naturali, ipsi verò fide infusâ & supernaturali: Ergo in dæmonibus fides infusa reperitur.

57. Ad primum respondeo D. Thomam loco citato solum velle, istud esse discrimen inter fidem & spem, quod spes nullo modo remaneat in damnatis, neque infusa & supernaturalis, neque acquisita & naturalis; quia spes etiam naturalis fertur solum in bonum sperantis, quod ab eo apprehenditur ut futurum; nullum autem est ejusmodi bonum respectu damnati: fides verò aliqua, scilicet naturalis & acquisita, in eis remaneat, cum adhuc credant, licet quodammodo coactè, & propter evidentiam signorum quæ vident, non verò ex pio affectu ad primam veritatem revelantem, ut infra dicemus.

58. Ad secundum dicendum, fidem infusam, & laudabilem, non solum peccato infidelitatis destrui, sed etiam ex defectu piæ affectionis ad credendum sicut oportet: unde cum dæmones, & damnati, non credant ex pia affectione voluntatis ad primam veritatem revelantem, sed ex evidentia signorum, dolentes illa esse tam clara, ut non possint ipsis dissentire, fides infusa in eis non remanet, sed destruitur ratione hujus dispositionis, & impedimenti, ut supra de hæreticis dicebamus.

A Ad tertium dico, quod sicut hæreticus per fidem naturalem ex parte principii cognoscit mysteria fidei quæ negat, ira & damnati: sicut enim non implicat, quod hæreticus ex motivo duntaxat naturali, puta ex relatione parentum, vel doctorum, aut aliquo ejusmodi, credat nostra mysteria, licet supernaturalia; ita & damnatus, ex iisdem motivis naturalibus, quibus credidit interdum in vita, tum etiam ex pœnis quas patitur, ac quibus in inferno afficiuntur alii ex malis Christianis, potest illa credere.

Ad quartum dico cum Cajetano, damnatos qui fideles extiterunt in via, distinguere ab infidelibus, charactere Baptismi indelebilibis, si vixerint post Christum in statu legis gratiæ; vel saltem signaculo maculæ pollutiæ fidei aliâ susceptæ, & pœnâ ob id majorem, cæteris paribus, si mortui sint ante Christum, ac proinde characterem baptismatis non fuerint insigniti.

B Ad quintum dicendum, quod cum damnati operentur semper ex prava intentione finis, omnes eorum actus, quantumcumque habeant obiectum proximum bonum, sunt simpliciter mali, & peccata mortalia, ut ostendimus in Tractatu de peccatis: unde repugnat quod sit in ipsis aliquis pius affectus erga primam veritatem revelantem.

Ad ultimum respondeo D. Jacobum non equiparare in omnibus fidem hominum peccatorum cum fide dæmonum, sed solum in hoc quod utraque sterilis & inutilis sit, utpote sine charitate, & operibus meritoriis: hoc enim sufficit ad valorem argumenti Apostoli, in eo consistentem, quod si fides dæmonum, ex eo quod sit sine charitate, illos non justificat, neque etiam fides Christianorum male viventium illos justificabit; quamvis aliunde differat à fide dæmonum, quod non sit naturalis, sicut illa, sed infusa & supernaturalis.

Quæres, an fides dæmonum sit omnino & simpliciter coacta, ita ut nulla in eis remaneat libertas ad negandas veritates Christianas miraculis confirmatas?

D Respondeo talem fidem non esse simpliciter coactam, sed solum aliquo modo, siue moraliter, eoque ferè modo, quo projectio mercium in mare, tempore tempestatis, dicitur involuntaria, & coacta secundum quid, siue moraliter. Unde D. Thomas hic qu. 5. art. 2. ad 1. ait: *Dæmonum fides est quodammodo coacta ex signorum evidentia*. Ubique quodammodo, non vexam & rigorosam coactionem, sed imperfectam tantum, seu moralem significat. Ratio etiam suffragatur: Dæmones enim non habent, nec habuerunt unquam evidentiam mysteriorum nostrorum, nisi in attestante, evidenter cognoscendo Deum illa revelare, vel testificari: Atqui hæc evidentia non omnino & simpliciter, sed quodammodo solum moraliter cogit intellectum ad assensum; quia cum ea sit rem ipsam quæ revelatur esse in se ipsa obscuram: Ergo &c. Unde si aliquando Divus Thomas, vel alii Doctores, asserant Dæmones non voluntariè credere, sed coactè, loquuntur de voluntario non mixto cum involuntario, & de coactione morali, & secundum quid; solumque intendunt Dæmones aliquo modo involuntariè & coactè credere nostra mysteria, sicut mercator quodammodo involuntariè projicit merces in mare, ad evitandum naufragium.

§. IV.

Alia argumenta solvuntur.

Contra ultimam conclusionem, in qua diximus, quod habitus fidei non remanere in beatis, obijci potest in primis autoritas SS. Patrum, praesertim Irenaei, & Tertulliani, qui aperte docere videntur oppositum: ille enim lib. 4. cap. 17. sic ait: *Paulus inquit omnibus evacuatis manere fidem, spem, dilectionem*: iste vero in libro de patientia haec scribit: *Merito charitas nunquam excidit, nam cetera evacuabuntur, consummabuntur; exhaurentur lingua, scientia, prophetia; permanent fides, spes, dilectio*.

Secundo sic ratione arguitur: Lumen gloriae datum Paulo in raptu non exclusit habitum fidei, ut docet D. Thomas infra quæst. 175. art. 3. ad 3. Sed lumen gloriae in D. Paulo fuit ejusdem naturae cum lumine gloriae in beatis: Ergo lumen gloriae, inditum mentibus Beatorum, habitum fidei non expellit, sed cum eo stare potest in eodem intellectu.

Tertio, Esto beati clare videant Divinam Essentialitatem, in ea tamen non vident omnia mysteria gratiae, quae spectant ad objectum materiale fidei: Ergo retinent fidem habitualem, saltem de illis mysterijs.

Quarto, Fides est nobilior virtus, quam virtutes morales, puta temperantia, & fortitudo, ut articulo praecedenti ostendimus: Sed temperantia & fortitudo erant in beatis ad ornamentum, licet non ad exercitium: Ergo & fides.

Denique, Theologia, quam hic in via per nos actus acquiritur, remanet in patria, ut in disputatione proœciali Theologiae docuimus: Ergo & fides (à qua, ut à subalternante, & habitu principiorum dependet) similiter perseverare debet in caelo.

Ad primum dicendum, quod Irenaeus & Tertullianus non volunt quod fides & spes maneat in beatitudine, secundum suas rationes specificas, sicut manet charitas, sed tantum secundum rationem communem attingendi primum verum, & summum bonum, in quantum per visionem, succedentem fidei, perfecte cognoscitur Deus in seipso, qui prius imperfecte per fidem cognoscebatur; & in quantum per fruitionem, succedentem spei, perfecte habetur Deus, qui prius imperfecte per spem possidebatur.

Ad secundum respondeo, quod lumen gloriae in D. Paulo fuit quidem ejusdem naturae cum lumine gloriae in beatis, non tamen ejusdem status & perfectionis; quia non datum fuit Paulo per modum habitus permanentis, sicut conferuntur beatis in patria: formae autem contrariae sunt solum se invicem expellunt, quando sunt in statu perfecto & permanenti, non vero quando sunt in statu imperfecto, & in subiecto solum in esse vitali, & per modum transeuntis existunt: sicut patet in accidente spiritali, qui quamvis requirit subiectum in re corporea permanenter, potest tamen transeunt in ea recipi, ut de virtute productiva gratiae, respectu sacramentorum, docet D. Thomas 3. p. quæst. 62. art. 4. Similiter si daretur aliqua demonstratio, quae non permanenter, sed tantum per modum transeuntis, intellectum afficeret, non evacuet habitum fidei, vel opinionis; quia tunc non generaret habitum scientiae, cum habitu fidei & opinionis

Tom. IV.

A impossibilem: licet enim oppositio & impossibilitas inter habitus & formas radicaliter ex ipsa natura formarum oriatur, non exercetur tamen, nisi habeant statum perfectum & completum, ut supra ex Cajetano declaravimus.

Ad tertium, dato Antecedente, nego Consequentiam: cum enim fides, sicut alij habitus, ab objecto formali & primario specificetur, eo sublato, permanere nequit: unde si beati non possunt retinere fidem habitualem circa Deum, & ea quae necessarii ipsi competunt, non possunt eam habere de mysterijs gratiae, quae in ipso clare non vident: sicut licet adhuc non possideant gloriam corporis, quae est objectum spei secundarium; quia tamen fruuntur gloria animae, & visione beatificā, quae est ejus objectum primum, non relinquitur locus habitui spei in patria, juxta illud ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?*

Ad quartum respondeo ex D. Thoma 3. p. quæst. 7. art. 3. ad 1. *Quod fides est nobilior virtus virtutibus moralibus, quia est circa nobiliorem materiam: sed tamen importat quendam defectum in comparatione ad illam materiam, qui defectus in Christo non fuit: ideo non potuit in eo esse fides, licet fuerint in eo virtutes morales, quae in sui ratione hujusmodi defectum non important, per comparationem ad suas materias*. Ex quibus patet, cur fides non possit manere in beatis ad ornatum, bene tamen temperantia, & fortitudo, aliæque virtutes morales: fides enim ob imperfectionem inevidentiae, quam habet essentialiter annexam, non potest esse ornamentum in beatis; virtutes vero morales, quia non habent essentialiter imperfectionem annexam, ad ornamentum beatorum deservire possunt.

Ad ultimum, concesso Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: Ratio discriminationis est, quia fides est essentialiter obscura, & inevidens, subindeque impossibilis cum clara Dei visione: Theologia vero non est essentialiter obscura, sed tantum accidentaliter, & ratione status viae, in quo per accidens dependet à fide, quae in nobis viatoribus gerit vices luminis gloriae, & est, ut ita loquar, vicaria scientiae beatæ, cui Theologia nostra per se, & ex natura sua, in certitudine & evidentia suorum principiorum subordinatur; unde connaturaliter petit illi conjungi, & in tali conjunctione habere evidentiam suorum principiorum, ut fuit in disputatione proœciali Theologiae exposuimus.

ARTICULUS III.

Quae sint causa fidei, & principium ejus effectus?

E Circa causas fidei nulla se offert celebris difficultas, aut controversia: constat enim apud omnes causam materiale, seu subiectivam fidei infusae, esse subiectum in quo recipitur, nempe intellectum hominis, vel Angeli viatoris, formalem, objectum à quo specificatur, nimirum Deum, ut est prima veritas revelans: finalem hominis salutem, cujus est initium, radix, & fundamentum, & ad quam ut ad proprium finem ordinatur, juxta illud D. Petri *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum vestrarum*: efficiens denique esse solum Deum, à quo fidei habitus infunditur, & qui non solum revelat ea quae credenda sunt, sed etiam intellectum movet & applicat per gratiam ad assentiendum veritati.

Sff 3

bus